

1650  
470.  
14

θεῶσὺν παλάμα!

THESES POLITICÆ  
De  
MAGISTRATU  
IN GENERE,

Quas  
Præscitu & permissu Amplissimi & Spectatissimi  
Senatûs Philosophici in illustri ad  
Salam Athenæo

PRAESIDE  
M. JOHANNÉ BARTHOLOMÆO  
Bechmann/

*publicæ & placidæ τῶν πολιτικωτέρων ἱζητάσεως*  
examinandas proponit

MICHAEL CHRISTIANUS Tieroff/  
Northufanus.

H. L. Q. C.  
Ad diem Decembris

Annò  
Epoche Christianæ  
M. DC. L.

JENÆ,

STANNÒ CASPARI FREYSCHMIDII.

V I R O  
G E N E R O S O . A N T I Q U A . N O B I L I T A -  
T E . M A G N I F I C E N T I A . E T V E R A . S T R E N U -  
I T A T E . P R A E S T A N T I S S I M O .

D N . G V I L I E L M O A B  
O P P E R S H A U S E N /

I L L U S T R I S S I M A E E T C E L S I S S I M A E  
D O M U S L I N E B U R G I A C A E T H E S A V R A R I O  
E M I N E N T I S S I M O , C O N S I L I A R I O  
G R A V I S S I M O , I N O P P E R S H A U S E N  
H A E R E D I T A R I O , I N N o b i l i t a t e E T W o f f e n b e r g  
P O S S E S S I O N A R I O ,

D N . M E C O E N A T I A C P A T R O N O S U O  
M U L T I S N O M I N I B U S D E V E N E R A N D O E T  
S U S P I C I E N D O .

H V N C I N G E N I O L I S V R

F O E T U M

*submissa devotione consecrat*

Michael Christianus Tieroff  
Aut. & Resp.



Jova Juva!



Citè *Plutarchum* in *Cat.*

*Majore* dixisse accepimus : τῆς πολι-  
τικῆς ἀνδρωσ ὁ ἀρετῆς ἔκταται τελειο-  
τεραν : i. e. virtute seu disciplinâ politicâ  
homo perfectiorem non possidet. Unde  
generosum. Ἐ omni favore dignum in-  
genium, cui cordi sunt disciplina politi-  
ca, proclamat *Socrat.* apud *Xenoph.* Commendat nobis se  
ipfius *Politica* cum necessitas, tum utilitas in quovis vi-  
tæ genere haud exigua; quod à multis dudum demon-  
stratum novimus. Proinde non abs re nos facturos  
arbitramur, si ex penu ejus divite paucula pro ingenii  
modulò depromamus, & præsentem de *Magistratu διαχει-  
ρῆν* instituamus.

*Deus annue cœptis!*

**E**υτάκτως autem ut in materiâ hâcce natu-  
râ suâ aliàs satis diffusâ & perplexâ progrediamur.  
1. Magistratûs proponemus ὁρισμὸν. 2. modos ad Magistra-  
tum perveniendi paucis delineabimus. & 3. subjecta breviter  
considerabimus.

§. II. Definitio autem occurrat gemina: prior ἐννοηματι-  
κῆ: ἐστὶ ὁδὸς posterior. Illa ambitu suo continet ἑτυμολογίαν, ὁ-  
μωνυμίαν, συνωνυμίαν de singulis breviter.

§. III. Magistratus verò vox natales arcessit à *Magistrō*,  
qui dicitur, cui præcipuè rerum incumbit cura, quiq̃ue magis

A 2

quàm

quàm alius quisquam diligentia & sollicitudinem rebus, queis præst, debet. Hinc teste Cic. Dictatores apud Rom. Magistri titulo insigniti fuere. Græcis ἀρχαὶ ὄντα τὸ ἀρχαὶ dicuntur: Magistratus enim est rectè præesse bono publico eiq; præscribere recta & utilia. Vid. Arist. 4. Pol. 15, & 6. Pol. c. 8.

§. IV. Originem vocis excipit æquivocatio: ubi notum est, nomen Magistratus accipi bifariam: 1. formaliter seu abstractè, prout notat ipsam potestatem & officium, Rom. 13 v. 1. & 2. quo pertinent phrasæ apud Cic. inire Magistratum, abire Magistratu, gerere Magistratum &c. 2. materialiter sive concretè, & significat personas autoritate & potestate illâ polentes: & sic potissimum præsentis est διασκέπειω.

§. V. Synonyma occurrunt plurima. Ratione officii enim, cui præsent, divini, vocantur Dii, ἑξουσία, ordinatio, Diaconi DEI: nuncupantur etiam benefici, Gnädige Herren, Gewaltige. Videtis hæc de re B. Gerb. tom. 6. Loc. Theol. de Magistr. Pol. & D. Siebenthal Colleg. Polit. disput. 6. §. 3.

§. VI. Fuit nominalis: sequitur realis: ad quam priusquam descendamus, ne corticem scalpere, nucleum relinquere videamur, paucis dispiciendum, an Magistratum gerere cui liceat? Affirmativa extrâ dubium vera est: quâ enim, quæso, re magis Patriæ, quæ potiore cum parentibus & amicis ortus nostri partem sibi vindicat, inservimus, quàm gerendis Magistratibus & tuendâ libertate? hæc quippe viâ quàm commodissimè ad veram gloriam adscensum moliri possumus, de Patriâ nimirum benè merentes: gloriam verò quis temneret, cum ea sit virtutis præmium amplissimum, faciatq; ut absentes adsimus, & mortui vivamus? Cic. pro Milon. Veteres sanè olim hominem φῶτα dixerunt, & animam lumen esse statuerunt, quod vera cognoscere debeat, & non in tenebris delitescere, sed in luce versari. Deinde bonum sibi conveniens omnes adpetunt, 1. Eth. 1. omnis verò potestas Magistratum cum à Deo sit Rom 13. 1. boni rationem habet Gen. 1. ecquis est, qui huic muneri se subtrahere velit? Hisce lucem scenerantur ea, quæ habet Arist. 1. Pol. 5. ὅσα, inquit, ἐξ τῶν λειόνων συνέστηκε, καὶ γίνεται ἢ ἐστὶ κοινὸν εἶτε ἐκ συνεχῶν, εἶτε ἐκ διηρημένων, ὡς ἀπα-

σιν.

οὐ ἐμπαύεται τὸ ἀρχόν, καὶ τὸ ἀρχόμενον. Quae verba Hein-  
 sius ita ὡς ἰσοπέδιλοι: videmus ita à natura esse comparatum,  
 ut ubicunq; est aliquod unum & commune quod tamen con-  
 stat è pluribus, sive disjuncta ( quorum partes separatae sunt,  
 ut in grege oves, in legione milites ) ea sint, sive conjuncta,  
 ( quae ex partibus conjunctis constant, sicut homo, cujus partes  
 corpus & anima, quae non amplius, quam unū aliquod effici-  
 unt, ( ipsum nempe hominem ) sit quodq; aliquid, quod servit,  
 ( forte, imperat ) & quod paret. Quod paulo ante l. c. ipse A-  
 rist. clarius edisserit, dum, ἰσθὺς ἐν γαστρίῳ ἐστὶν τὰ μὲν  
 ἐπὶ τὸ ἀρχέειν, τὰ δὲ ἐπὶ τὸ ἀρχεῖν ὀπίσθαι, i. e. quadam  
 ut orta, statim ad imperandum partim ad parendum distare  
 dicit. Stantibus proinde hinc Philosophi effatis, eum qui  
 Magistratus officio praefici renuit, naturae vim facere insignem  
 in aprico erit. Exemplis ex sacro codice de promendis super-  
 sedemus. Vid. Lieben. Coll. Pol. Diss. 6. q. 2.

§. VII. Interim haud paucos eosq; viros optimos Ma-  
 gistratus detrectasse & honores publicos recusasse non infici-  
 amur, quod & Moyses & Gedeonem fecisse sacrae testantur pagi-  
 nae, ut & alios, quos vide apud prophanos scriptores. Sic Se-  
 leucum dixisse ferunt, si multi scirent, quam sit laboriosum, tot le-  
 gere & scribere epistolas, ne humi quidem jacens diadema tollerent.  
 Tradebatur Regi cuidam diadema, quod, priusquam capiti im-  
 poneret, retentum diu considerabat ( prout ingenti ipsius sub-  
 tilitas erat ) tandemq; dicebat : *o nobilem magis, quam felicem*  
*pannum, quem si quis penitus cognoscit, quam multis sollicitudinibus,*  
*periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere*  
*vellet.* Clamant alii difficultates, quibus in administratione  
 premantur, clamant labores, curas, vigiliis & molestias; præ-  
 tendunt inimicitias, & cum audaculorum improborumq; in-  
 terdum etiam potentum choiò digladiationes haud exiguas:  
 conqueruntur alii de invidiâ: ut *Lucr. l. 5*

*Et tamen è summò quasi fulmen dejicit ietos*  
*Invidia interdum contemtim in tartara tetra,*

*Ut satius multò jam sit parere quietum,  
Quàm regere imperiores velle & regnare tueri.*

Viros quoq; optimos Athenis post res ex sententiâ gestas in  
exilium pullos, constat. *Cic. 5. Tusc. quest.*

§. II. Verùm tantum ponderis ratiunculis hisce non  
inest, quàm inesse existimatur: tantum enim abest, ut à com-  
munis societatis salute nos avocent curarum, laborum & mo-  
lestiarum myriades, ut potius in discrimen vocanda sit ob eam  
ipsa etiam vita, quàm aliàs homini dulcius obvenire potest nihil.  
Nostri quæ sunt officii, faciamus, eventus, quicumq; tandem  
sint, DEO commédantes. Neq; alia horum malorum remedia,  
quæ iudiciò viri prudentis temperanda sunt, deesse putamus:  
ea autem ut adducamus, nostris instituti non est.

§. IX. E diverticulò jam in viam revertimur regiam, &  
ad definitionem Rei devenimus, quæ hæc esse potest: Magistratus  
est persona publica legitimâ imperandi potestate instructa  
ad bene regendam & administrandam Remp.

§. X. Hæc de definitione. Modos constituendi Ma-  
gistratum quod attinet, sunt ii præcipuè (de extraordinariâ  
enim constitutione, quæ fit per arma, foedera, aut aliâ ratione,  
jam non loquimur) tres: 1. *sortes*. 2. *electio*. 3. *sortes*  
*genus & successio*; quorum duorum posteriorum mentionem  
facit *Stagirites 3. Polit.* Suntq; passim in frequenti usu: præ-  
sertim de *successione* multa leguntur apud Autores: unde de eâ  
dicere super se debimus. De reliquis quædam.

§. XI. *Sortem* autem quod concernit, meritò quæri-  
tur, num modus ille sit probandus? In negativam qui descen-  
dunt, urgent inter alia 1. quod, quando Magistratus constitu-  
itur, res magna egatur totam concernens Remp. & idè casib9  
fortuna cæca, nihilq; cernentis, quò se adplicet. 2. ad *Herenn.*  
committi non debeat: siquidem tentare fortunam, ubi con-  
silio locus est, temerarium, ut benè monet *Pont. 2.* Quod hõc  
modò digno imperiò ab indignò discerni vix possit: què enim in-  
ter *Neronem & Tiberium* posset *sortes* discernere inec decernere igitur  
debet, sed *electio consilio suscepta præferenda*, *Boet. 1. de Rep. c. 5.*

§. XII. Affir-



§. XII. Affirmativam qui defendunt, inter alia nituntur autoritate *Platonis*, qui 3. d. LL. c. 8. sortem praefert, quod illam DEUS maximè moderari videatur. 2. Proferunt exempla *Saulis*, *Darii*, *Lesci II.* apud *Polonos*, *Gordii* apud *Phryges*, & *Primislai Regis Bobemi*, quos omnes sorte ad regna devenisse, historici testantur.

§. XIII. Nos distingvendum putamus inter collationem Magistratus *ordinariam* & *extraordinariam*: *ordinarie* electio Magistratus sorti committenda non videtur, id quod luculenter probant argumenta priori locò adducta. *Extraordinarie* verò per sortem Magistratum constitui posse extrà dubium est; si nempe discordibus eligentium votis plures candidati concurrant, genere, virtute & aliis requisitis pares; tunc enim melius est, si ob certas rationes res sorti committatur, & sic decidatur. Exemplorum cum sacrorum, tum profanorum nubes haec, si labitum, statuminare possemus. Sic *Homerus* J. 15. refert, ipsius *Saturni* tres filios, *Jovem*, *Neptunum* & *Plutonem*, sorte quoq; sibi *Saturni* Patris imperium divisisse, & *Jovi* coelum, *Neptuno* mare, *Plutoni* infernum obtigisse. Sic *Triumviri Augustus*, *Lepidus* & *Antonius* sorte usi sunt. Ex *Justin.* l. 13. constat, successores *Alexandri M.* sorte divisisse regna & provincias. *Romanorum* cuius omnes dignitates per sortem obveniebant, iidemq; comitia ex sorte habebant teste *Liv.* De *Germanis* vid. *Cæs.* l. 1. de belli *Gall.* Præterea quia extra omnem dubitationis aleam positum est, quin *DEUS*, si serid invocetur, sortes moderetur & dirigat *Prov.* 16. nil obstat, quò minus necessitate ita efflagitante sorte Magistratus postulari possit: ubi tamen ex *Aret. p.* 2. *Probl. fol.* 634. hanc adhibemus cautelam, ut sortes haec sint ex numero licitarum, sitq; usus earum parior.

§ XIV. Ad sortem quidam ob similitudinem referunt electionem *Darii Regis Persarum*, qui hinnitu equi Rex designatur. *Herod.* l. 6. Item *Gordii Regis Phrygiae*, quem ad *Jovis* templum postquam se contulerat, à *Phrygibus* ex Oraculi responso, ad imperii fasces evectum scribit *Justinus*: Item cum *Targithai Scythae* filius natu minimus, *Colaxain* per obsequium

um' aratri, securis, jugi & phialæ, quæ aurea erant omnia, fratribus in regnò præfertur, ut ex *Herod.* refert *Cl. Heiderus.* De Principe *Polonia Lesco*, memoriæ prodidit *Herbertus Chron Pol.* l. 1. c. 8. eum nempe cum aliis regni competitoribus certamen in tutū, aculeos sive hamos ferreos (*Suffangel*) sub arena posuisse, equum verò suū soleis ferreis (tūm temporis inuistatis) munivisse, ut si à tramite aberraret, pedes equi non laderentur: & sic per anfractus etiam decurrentē ad metam, nemine non mirante, pervenisse; reliquos verò ceu iracitos in mediò cursu substituisse. Sed quia hi modi plerumq; fraudibus & imposturis fuere obnoxii; idèò num ad sortem propriè dictam referri queant, meritò dubitatur.

§. XV. *Electionem* quod attinet, ea communiter juxta Politicos dispescitur 1. in eam, quæ est voti vel *liberi*, vel *restricte*. *Electio libera* est suffragatio licita in personam quamcunque præ aliâ magis idoneam ad capeffendum Magistratum, cuiuscūq; sit ordinis, conditionis & status: & sic qui majore eligentium consensu destinatus est, ei fasces imperii demandantur. Hâc libertate *Poloni* elegerunt *Piasum*, agriculturæ navantem. *Restricta* est 1. determinata ad certas personas, ut nullus alius, quàm ex hâc vel illâ gente, familia, natione, eligatur, & 2. certis circumdata limitibus & legibus. Ad personas est alligata: Sic populus DEI nullum alium, nisi ex tribu *Juda* & stirpe *David* oriundum regiò dignabatur honore. Sic sancitum est à *Carol. IV. Aur. Bull.* ut præter sanguine Germanò cretum, eumq; Principem vel comitem nemini ad fasces Imperii pateat aditus. Ad leges verò alligata dicitur, si illæ vel in perpetuum constitutum velint habere Magistratum, vel ad certum saltem tempus.

§. XVI. Quæritur *b. l.* præstetne *ambulatorium*, an *perpetuum* habere Magistratum? Quæsitum hoc rerum politicarum Candidatis non parum facessit negotii: Aliis magis placet *annuus*, aliis verò *perennis*: pleriq; scepticorum more hîc *indèterixu* amplectuntur. Multa hâc de re videas apud Autores: Nos parvâ ingenii cymbula ex iis hâc vice nihil adducemus; ut tamen ex intricatissimò sententiarum labyrintho emergamus, faculam fortean præferet trita distinctio, quâ distinguen,

tingvitur 1. Inter Magistratum *summum & Inferiores.* 2. Inter  
statum Reipubl. *Monarchicum & Polyarchum.* Respectu Ma-  
gistratus *summi* in *Monarchico* Reipubl. statu Magistratum  
perpetuum esse conveniens videtur: Respectu *inferiorum* vero  
Magistratum in *Polyarchico* statu ambulatorium præstat esse  
magistratum.

§. XVII. II. Electio dividitur in eam, quæ competit vel  
omnibus, vel saltem aliquibus: ut omnibus committatur,  
Autores tutum non judicant, cum virtutes regias non omnes  
intelligant. Cardinalibus convenit jus eligendi *Pontificem*.  
In *Imperio Romano* potestas eligendi *Imperatorem* residet penes  
VII. Electores, è quibus electionem novi Imp. auspicandi sen-  
tentia prior stat à partibus *Moguntini*, tanquam Archicancelle-  
rii Germaniæ & Illustr. Collegii Decani, qui cæteros E. E. ad  
electionem futuri Imp. literis suis patentibus ad oppidum  
*Frankfurt am Mayn* convocat, & factò amplissimò conventu  
in *Basilica S. Bartholomei*, præmissis sacris, vota singulorum in-  
quirit, ut habet *Aurea Bulla* c. 14. & 19. Rogationem *Mogun-  
tini* excipit primum *Trevirensis* suffragium, quod ante A. B.  
*Moguntinum* habuisse elucescit ex *Speculo Saxonico* l. 3. art. 57.  
Der B. Hoff von Mayn hat die erste Stimme an der Wahl /  
der B. Hoff von Erter die andere / der B. Hoff von Coblen die dritte  
&c. II. Suffragium debetur *Coloniensi*, cui officium primum  
diadema Regi Rom. imponendi. III. Regi *Bohemia*. IV. Comi-  
ti Palatino. V. E. *Saxonia*. VI. *Brandeburgensi* S. Rom. Imp.  
Archicamerario & fisci Præfecto. Votis hisce datis, *Mogun-  
tinus* vice versà interrogatus edit VII. suffragium. Sed hæc  
manu nobis, non factò sunt admetienda.

§. XVIII. Per transennam quasi hinc quæri potest: an  
invitis obtrudendus sit Magistratus? Dicunt quidam cum Co-  
mico: *invites canes in venatum ducere, id verò nihil est; deinde,*  
*quod est invitum, id non est diuturnum:* facile præterea dege-  
nerabit Princeps invitus in tyrannum exprobraturus subditis  
hoc ipsum, quòd nolentem volentem ad Imperium traxerint.  
Verùm nota: si delectus virorum ad Remp. idoneorum habe-  
ri potest, & Reipubl. in extremis non versatur necessitatibus,  
invito obtrudi debere non videtur, quin potius spontaneapro-

B

pea-

pensio spectanda. Extrà hos casus etiam invitum, præprimis si tantùm prætendat metum periculi, non ætatem, imbecillitatem vel morbos, esse ad Magistratum trahendum putamus. Sæpè enim videmus hos melius rem gerre, quàm qui cupidè se immiscent. Dictis facem alluxit *Severus*, qui motus exemplis invidorum, benè tamen postea imperantium, invidos nec ambientes in Remp. esse collocandos dixit. *Helvius Pertinax* Imp. coactus imperavit, repugnansq; imperium suscipiens, cognomento dictus est *Pertinax*; Plura qui vult, adeat *Pl. Rev. Dn. D. Martini Cent. 2. disp. 2. quest. 9.*

§. XIX. III. Ad subjecta Electionis properamus: ubi principaliter considerationem merentur *sexus & bona animi.*

§. XX. Quoad *sexum* de Masculis res plana est. De *Gynæcocratiâ* autem disputant, an ea sit toleranda? Sexus muliebris propugnatores nituntur i. exemplis tum sacris, tum profanis; Sic in populò Israeliticò *Debra* Imperio non sine laude præfuit, *Jud. 4. v. 4.* De Regina *Scება* idem testatur *R. Aben Esra* in *Dan. 11. v. 6.* ita enim ibi inquit: *היא מלכת שבת והארת המלכות תקרא בלשון ישמאל* ועד היום אשה מלכת עליהם והוא ברשו מלך מצרי: *היום* i. e. *Hac est Regina Scება: & hoc regnum vocatur lingua Ismaëliticâ אלימן Aliman; & ad hunc usq; diem mulier imperium obtinet, & hoc concessione Regis Ægypti.* De *Scythis* *Just. l. 2. hist.* scribit, quòd non magis virorum imperiò, quàm foeminarum virtutibus claruerint. Idem quoq; observatum fuisse in Imperiò *Constantinopolitano, Regno Hispanorum, Neapolitano, Francorum, Scotorum, Anglorum, Cas. 1. Polit. c. 16. 3. Pol. 11. Tholof. 7. de Repub. c. 1. Lipsius 2. Pol. c. 3.* testantur. 2. urgent, quòd sexus virtutem non excludat, virtutumq; omnium æquè foemina, quàm mas capax esse queat.

§. XXI. In negativam qui descendunt sententiã, urgent i. ipsam naturam, quæ mulieribus regnum non deberi docet,

docet, cum ad parendum, non ad imperandum, natae sint :  
γυναικὶ δ' ἀρχεῖν ἔδιδωκεν ἢ φύσει, inquit Menander. 2.  
Quod ipse DEUS viro in re Oeconomica imperium dederit,  
mulierem verò subesse voluerit, praeposterum autem fore, in  
Repub. illi tribuere imperium, cui in Oeconomica illud dene-  
gatum. 3. urgent requisita ad imperandum necessaria, qualia  
sunt prudentia, consilium, taciturnitas, & alia, sine quibus nul-  
la Respubl. feliciter administrari potest: quibus omnibus ut  
plurimum destituatur foemina.

§. XXII. Nos majoris perspicuitatis gratia distingui-  
mus inter electionem & successionem. Quantum ad succes-  
sionem, si consuetudo & leges fundamentales foeminas succe-  
dere patiuntur, ferendum est, mulierem animo virili affectam  
gubernationi rerum praefici, suffragante etiam ratione juris ci-  
vilis. Si verò consuetudo aut leges fundamentales hoc non fe-  
rant, neq; admittenda erit ad regni successionem foemina: mul-  
to minus si sermo sit de regno electivo: hoc quippe modo ar-  
cet foeminas a regimine DEI ipsius iudicium: arceat eas hone-  
statis intuitus: arceat eas inconstantia, in qua sola constantissi-  
mae sunt: nam varium & mutabile semper foemina. Hinc  
*Properci.*

— *Nulla diu foemina pondus habet.*

§. XXIII. *Bona animi quod attinet, ea praecipue  
proponuntur Exod. 18. v. 21. Provide ex omni plebe viros  
strenuos & timentes DEum, in quibus sit veritas, & qui ode-  
rint avaritiam &c. Deut. 1. v. 13. Date ex vobis viros sa-  
pientes & intelligentes.* Ex quibus Rabini מדות proprie-  
tates iudicum colligunt; & quidem 1. requiritur,  
ut sint אנשי חיל viri virtutis sive fortes שיש להם כח  
; ולא יפחדו מהם: qui sunt fortes ad  
portandos labores, nec timent sibi ab illis, ut reddit Abene  
Efra, vel δουρατοι, qui animo imperterrito, ut LXX. vertunt.  
Sive, אנשי חיל עשויים שאין צריכים להחניף ולהכיר  
פניהם: B 2

: פְּנִיָּם i. e. divites ; quibus non est necesse, ut adulen-  
 tur & capiant personas , ut reddit R. Sal. Jarchi.  
 2. יִרְאוּ אֱלֹהִים timentes Deum: timor enim Domini ini-  
 tium sapientia: jam verò absq; sapientiâ imperia guber-  
 narinequeant &c. 3. Vt sint אֲנָשִׁי אֱמֶת viri veridi-  
 ci, qui omnem veritatem & juxta eam judicent. 4. שֹׂנְאֵי  
 בָּצַע odio habentes questum: sive ut Chald. vertit, רִסְנָן  
 שְׂשׂוֹנָאִים qui oderint accipere pecuniam: i. e. אֲתָ טְמוֹנִים בְּרִין  
 odio habentes avaritiam in judican-  
 do, ut R. Salom. & R. Aben Esra exponunt; quia Φιλάρυγος  
 facillime fiunt δωροφάγοι, patiuntur muneribus se currū-  
 pi, ut à normâ justitiæ in judicando deflectant. 5. Vt  
 sint אֲנָשִׁי חֲכָמִים וְנִבְנִים Viri sapientes & in-  
 telligentes, instructi prudentiâ. Respubl. enim destitu-  
 ta prudente Governatore eandem experitur sortem, quam  
 navis destituta peritō nauclerō, quæ vel scopulis alliditur, vel  
 vorticum gurgitibus absorbetur. Atq; hæc sunt præcipua  
 bona animi, quæ in Magistratu eligendō imprimis spectanda  
 sunt.

§. XXIV. His si accedunt bona corporis & fortuna,  
 eò majorem conferunt auctoritatem eligendo. E quorum  
 censu sunt 1. *Ætas*. Ubi quaritur: An Juveni committenda  
 Reipubl. gubernacula? Pro utrâq; sententia rationes non  
 contemnendæ adferuntur. Quibus affirmativa sententia ar-  
 ridet, proferunt exempla 1. *Joas*, qui 7. tantum annorum na-  
 tus erat, cum clavis Imperii ipsi traderetur 2. *Reg. ii. 2. Josia*,  
 qui 8. annorum erat, cum regnare cepisset: quorum tamen  
 uterq; non sine insigni scripturæ encomiō Imperium admini-  
 stravit. Similia exempla occurrunt apud profanos Autores.  
*Theodosium* adhuc in cunis vagientem. Pater adpellavit *Au-*  
*gustum*. *Henricus IV.* Imp. electus fertur, cum esset 8. anno-  
 rum. *Carolus V.* annō ætatis 18. magnō Procerum consen-  
 su Imp. electus est. Qui verò negativam tuentur, urgent, quod  
 Juvenibus requisita ad imperandum necessaria, ut sunt pru-  
 dentia

dentia, animi moderatio, constantia &c. deficient. Nos pro  
decisione hujus quæstionis distingvendum putamus 1. inter  
electionem & successionem. Si Juveni ratione successionis  
regnum debetur, ipsi non debet adimi; sed si adhuc minore-  
nis, tutores ei constituendi, 2. inter aetatem puerilem & juveni-  
lem: neq; enim ut pueri, ita etiam Juvenes ab Imperiò exclu-  
dendi sunt, modò prudentiâ senili polleant.

§. XXV. II. *Facultates*. Ubi durum morosa contentionis fu-  
nem non duces cum illis, qui pro ditioribus eligendis di-  
micant; neq; descendemus in arenam cum iis, qui pauperes  
preferunt; sed, quò neutri parti aditus ad honores & officia  
publica præcludatur, dicimus, in legendis Magistratibus non  
honorum fortunæ sed animi rationem esse habendam: sæpè e-  
nim sub paullio sordido magna latet sapientia. *Plut. in E-  
pamin.* memorat *Epaminondam* saltem unicam habuisse  
vestem, quæ cum resarcienda foret, domi latuisse, qui tamen  
Græciæ Princeps constitutus primus *Spartanos* vinci posse  
docuit. Benè *Arist. 4. Pol. 12.* τῶν χρημάτων ἢ κτήσις ἢ  
μὲν, & βελτίη πάντων ῥᾶσι ὅδ τῷ λόγῳ πρὸς ἑαυτὸν, i. e. *bono-  
rum fortune possessio mediocris, est optima omnium existi-  
manda.* Vid. plura ibidem.

§. XXVI. III. *Ortus*. Ubi Indigenas peregrinis, (intel-  
ligo, qui ipsi primùm ad nos venerunt, non, qui nati nobiscum  
Parentibus aliunde profectis) anteferendos censemus: hos  
enim morum animorumq; civium non adeò, ac qui in illò solò  
nati & sati sunt, gnaros scimus, quòd tamen caput Reipubl. esse  
*Cic.* pronunciat. Hinc in inclutâ *Venetorum* Rep. peregrinis  
nullus est locus, & tamen nec justitia, nec severitas deest. Hinc  
suprà dictum, in *A. B.* cautum esse, ne summũ R. Imperii decus  
ad externos transferatur. Plura vid. apud *D. Martini Keckerm.*  
in *System. Polit.* & alios. Cynosuræ interim vicem gerat hic  
lex *XII Tab. Salus populi suprema lex esto.*

§. XXVII. IV. *Familia*. Hanc autem quòd atinet, san-  
guinis nobilitatem requirunt nonnulli ideò, quia vero germa-  
num sit, stemma & insignia nobilitatis ac recordationem ma-  
gnarum rerum à Majoribus gestarum majorem Magistratui

concordare reverentiam: Vnde moris fuit apud *Spartanos*, *Athen* & *Corinthios*, ut penes certas familias, & illas quidem nobiles, regia dignitas, & alia officia quasi residerent. Virtus tamen nunquam non præponderet: sicut enim venator non canis prolem, ad canem: & equitandi studiosus non equi foetum, sed equum quarit: ita & Politicus administranda civitatis curiosus errabit certè, si civitatis Principem non quis, sed à quò sit, investigarit, inquit *Plut.* Sanè *Augustus* ille, cujus nomen adeò celebre, Avum habuit *Argentarium*, Patrem *Adstipulatorem*, teste *Cic. Tarquinius* priscus Rex Rom. Patre Mercatore eòq; exule prognatus est. *Anastasius* Imp. fuit scriba aulicus. Interim, si virtus & nobilitas in unò conveniant, eum meritò præ aliò, qui tantùm virtuosus est, ad falces evehendum esse dicunt Politici.

§. XXVIII. Q. b. l. de iis, quorum generi adheret macula ac infamia, an ij in Magistratum adsumendi? Quibus affirmativa placet, urgent i. Exempla, quorum catalogum prolixum eorumq; virorum excellentissimorum & virtute clarorum vide apud *Tiraquellum* l. de nobil. c. 15 §. 1. Ubi spurios recenset hos, *Herculem*, *Alexandrum M. Bacum*, *Thesum*, *Romulum*, *Servium Tullium Romanorum Regem*, *Timotheum*, & *Themistoclem Atheniensem* Imp. *Medonem* & *Teücrum* *Græcorum* Duces: *Menelaum* & *Arideum* *Macedonum* Reges. 2. Quod crimen paternum non possit filio maculam infligere. Negativam qui defendunt, nituntur autoritate i. legis divinæ, quæ spurios excludit à civili societate, uti videre est *Deut. 23. v. 2.* 2. Juris Canonici, quod itidem eos excludit. Nos distingvendum putamus inter regulam generalem & extraordinarium necessitatis casum, & dicimus regulariter spurios ad Magistratum evehendos non esse: Interim extraordinariè propter heroicam virtutem & certas quasdam Reip. circumstantias admitte posse opinamur.

§. XXIX. Dicenda etiam essent quædam de Magistratûs diversitate, inauguratione, juramentò ab ipsò præstandò, de consiliis & judiciis: Verùm ohè jam satis est! terram videmus, ideoq; hæc subsistimus, & debitas agimus.

JEHO.



JEHOVAE OPTIMO MAXIMOQUE  
GRATIAS.

*Corollaria.*

1. *Virtus moralis posita est in mediocri-  
tate.*
2. *Finis est vera causa.*
3. *Omnia relata sunt simul naturã.*
4. *Substãtia nõ recipit magis & minus.*
5. *Temperantiã prolongari posse vita n.  
statuimus.*
6. *Utrum Pontifex in Imperatorem do-  
minatum & potestatem habeat? N.*
7. *Num Imperium nostrum Germani-  
cum adhuc rectè dicatur Romanum? N.*
8. *Divitiæ non nobilitant.*

~~~~~  
**Q**uattuor & triadem, duo complectuntur & unum;  
Sic tibi summa Trias terq; quaterq; favet;  
Et duo te celebrant: mala cessent, optima surgant;  
Sparta quieta ausûs dicit & Una pios.

*Prestantissime Dn. & Amice exoptatissime!*  
*Quatuor promisi, totidem boni consule versiculos;*  
*quibus etiam de hoc Eruditionis Specimine,*  
*publicè edito, animatûs gratulor*

*M. Johan- Vilhelmus Wallich*

*Diac. Jen.*

*Omnibus*

**O**mnibus & cunctis mens est generosa ferendo,  
Excipias tantum delituisse diu.  
Delituisse diu nescit, perdocte Tirotti,  
Mens tua: sed studii culmina summa petit.  
Hinc sacra Te pridem tenuerunt pulpita, & inde  
Publica Te rursus pulpita nostra tenent,  
Dum Rerum Dominos Tua Dissertatio monstrat:  
Plus ulera! Magnus sicq; futurus eris.

M. Abrahamus Triller  
Crimiciâ-Misnicus.

---

**W**ie ihm Herostatus wolt' einen Nahmen machen  
Der vnderleslich sey, bedacht er so die Sachen:  
Er grieffe freuentlich/durch Hülffe des Vulcan/  
In der Epheser Stadt Dianen Tempel an.  
O falschgesuchter Ruhm! viel besser Ihr Euch schwinget  
Hoch in der Sama Zeit/weil Ewer Geist ist dringet  
Zu Hohē Hauptern hin/verachtet was ist schlechte  
Durch hohe Sachen wird hoch Lob erjaget  
recht.

Eylfertig/iedoch wolmeinend setzet dieses

J. Gersmann.

F I N I S.


ULB Halle  
005 132 606

3



V017







1650  
410  
14

Θεῶν παλάμα!

THESES POLITICÆ  
De  
MAGISTRATU  
IN GENERE,

Quas  
Præscitu & permissu Amplissimi & Spectatissimi  
mi Senatûs Philosophici in illustri ad  
Salam Atheneo

PRAESIDE  
M. JOHANNĒ BARTHOLOMÆO  
Bechmann/

publicæ & placidæ τῶν πολιτικωτέρων ἱζητάσε  
examinandas proponit

MICHAEL CHRISTIANUS Tieroff/  
Northufanus.

H. L. Q. C.  
Ad diem Decembris  
Annò  
Epochæ Christianæ  
M. DC. L.

JENÆ,  
STANNÒ CASPARI FREYSCHMIDII.

